



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Facultas Patris Ministri Provincialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

Facultas Patris Ministri Provincialis.

Solem Triplicem in eodem Universo seu integrum Philosophiæ Cursum, per Patrem Fratrem AMANDUM HERMANN, Ordinis Minorum S. P. Francisci Reform. SS. Theologiæ in Conventu nostro Neo-Pragensi B. Virginis ad Nives Lectorem Generalem actualem, non minus subtiliter, quam utiliter compositum, nec non à deputatis Religionis nostræ SS. Theologiæ Lectoribus vigilanti oculo iustratum ac examinatum pro utilitate ac bono communi, pro Reipublicæ Litterariæ incremento, Legentibus solatio, servatis servandis imprimendi, atque ità publicæ notitiæ exponendi præsentibus facultatem impertior. In Conventu nostro Neo-Pragensi B. Virginis ad Nives. Anno 1673. Die 17. Septembris.

Fr. Guilielmus Antonius Brauczek, SS.
Theologiæ Lector Jubilatus, nec non Provinciæ Bohemiæ Reform. S. Wenceslai Ducis & Martyris Minister Provincialis.

Censuræ Doctorum.

Universæ Philosophiæ Cursum integrum Authore Admodum Reverendo P. F. AMANDO HERMANN, Ordinis Minorum S. Francisci Reform. Provinciæ Bohemiæ S. Wenceslai S. Theologiæ Lectore Generali avidè & cum delectatione legimus: in quo Quæstiones tum à Veteribus, tum à Recentioribus diu exagitatas, & vix magnis Voluminibus comprehensas, tantà facilitate & felicitate pertrahat, ut cum nihil omitat necessarium ac scitu dignum, nihil simul admittat otiosum, aut sanæ Doctrinæ, aut bonis moribus dissonum. Invenimus in resolvendis Argumentorum fallacis subtilitatem, in veritate manifestanda Eloquentiam, in indaganda mente sui Authoris solertiam, in enucleandis rationibus profunditatem cum claritate. Unde tam insignes Elucubrationes Philosophicas prælo ac Luce publicâ dignissimas censemus. Prædicatorum Conventus S. Ægidii die 3. Octobris Anno 1673.

Fr. Joannes Steuber, Ord: Prædic: SS. Theologiæ Præsentatus Generalis Studii ad S. Ægidium Regens.

Fr. Albertus Muffik, Præsentatus & Studii Baccalaureus.

Triplicem Solem in eodem Universo, id est, Universæ Philosophiæ Cursum integrum ex clarissimo fecundo, & facundo Ingenio Admodum Reverendi Patris AMANDI HERMANN, Ordinis Minorum S. Francisci Reform. Provinciæ Bohemiæ S. Wenceslai SS. Theologiæ Lectoris Generalis, &c. diligenti & gratissimo mentis obtutu suspexi, in quo nec minimam nubeculam, quæ fidem Orthodoxam, vel bonos mores labefactare posset, deprehendi, imò subtilissimis Clarissimæ Doctrinæ radiis undequaque scintillantem observavi, ideoque non occultandum sub modio, sed super publicæ Lucis Candelabrum Censeo ponendum, ut luceat omnibus, qui in domo Litteraria vivunt. Dabam in Conventu nostro Vetero-Pragensi S. Jacobi 14. Octobris Anno 1673.

Fr. Blasius Antonius de Comitibus à Mediolano,
Ordinis Min. Conventual. SS. Theologiæ Doct.
Collegii Ferdinandi Pragæ ad S. Jacobum Regens & Inspector.

Julia